



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Quod alterum mand. in altero est. H

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

menti. Tunc prorsus toto corde, tota anima, tota mente, diliges Deum: quod est summū præceptum.

Questio de præcepti ratione.

Aug. in eodem lib. de perfectione iustitia continuò to. 6.

Sed cur præcipitur homini ista perfectio, cum in hac vita eam nemo habeat? Quia non rectè curritur, si quo currendum est nesciatur. Quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur? Ecce habes cur illud præceptum est quod hic penitus impleri non potest. Impletur tamen ex parte, scilicet secundum perfectionem viæ. Alia est enim perfectio currentis, alia peruenientis. Facit hoc mandatum vt cursor, qui Deum ante omnia & præ omnibus diligit, nec tamen omninò perficit.

Quod alterum mandatum in altero est.

*Rom. ii. c. 6.
Galat. 5. c.*

Cum autem duo sint præcepta charitatis, pro utroque sæpe vnum ponitur, nec immerito: quia nec Deus sine proximo, nec proximus sine Deo diligi potest. Vnde Apost. Omne mandatum legis dicit instaurari, i. contineri & impleri in hoc verbo. Diliges proximum tuum sicut teipsum. Et Christus dilectionem proximi specialius commemorat dicens. Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos: vbi illud maius mādatum dilectionis Dei videtur prætermissum: sed bene intelligētibus, vtrumque inuenitur in singulis: quia qui diligit Deum, nō potest eum contemnere, quē Deus præcipit diligi: & qui diligit proximum, quid in eo diligit nisi Deum? ipsa est dilectio ab omni mundana dilectione discreta: quam distinguens Dominus ait: Sicut dilexi vos, Quid enim nisi Deum dilexit in nobis, non quem habebamus, sed vt haberemus? sicut medicus ægrotos, & quid in eis diligit nisi salutem, quam cupit reuocare, nō morbum quem venit expellere? Sic & nos inuicem diligamus, vt quantum possumus inuicem ad habendum in nobis Deum ex dilectione attrahamus.

Quæ charitate diligenda sint.

I
Sed